



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. V. Ex doctrina D. Augustini & Sancti Thomæ solvuntur argumenta
articulo præcedenti proposita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

Nec vitio panem debere, aut premia laudi,
si rei naturam obstrictam mala velle necesse est,
vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.
Non quid non eadem sapiunt, eadem que perorant,
Videtur illi quorum ructatis verba magistri
Sed quia consimili cognata superbia gessit
Proflit, & vobis nunc respondetur, & illis.

Et capite 28.

Hoc itaque arbitrium, cum sanat gratia, tolli
Dicitur, & perimi, vitia a sperante putatis.
Quid mirum rabido si cor de phreaticus eger,
Mellum amat, & pellic medicum: cognoscite tandem.
Aut qui commenta doli, & devescite aptas
Aut res vixit rursus prabere suffuro.
Parcite de fractis praeceptis pernoxia poma
Arbitri ramis, non hac vos escare reformas,
Nec speciem Angelici nutritus cibis iste decoris.
Sed retorum avidos, & tectis a bile timentes,
De perfiditate procul abripit arbore vitae:
Huius ope & fructu resuscendum est, ut respaulescens
Languida mens, etiam propriis bene viribus uti
Possit, & in Christo inveniat quod perdidit in se.

ARTICULUS V.

Ex doctrina Divi Augustini & Sancti Thomae
solventur argumenta articulo praecedenti
proposita.

Legetur praecipua Adversariorum argumenta, facile
solvi possint ex doctrina articulis praecedentibus
tradita: nihilominus ut magis constet nostram
doctrinam non esse novam, nec aliunde quam
ex patrum utriusque Sancti Doctoris fontibus
fuisse desumptam, ex illis etiam hauriemus
solutionem omnium argumentorum, quae articulo
praecedenti proposita sunt.

§. III.

Solvitur primum argumentum.

Primum ergo dicendum est, duplex in rebus
humanis posse distingui fatum. Unum
Ethnicum & profanum, à Gentibus olim confi-
ctum. Aliud Christianum & Catholicum, à D.
Augustino & S. Thoma receptum. Primum est li-
bertati contrarium, & necessitatem antecedentem
& absolutam in rebus humanis inducens. Se-
cundum verò libertati non praerudicat, sed potius
eam fovet, perficit, firmat, & causat; nec aliam
necessitatem, quam infallibilitatis & consequen-
tiae, quae libertati non adversatur, inducit. De-
nique fatum primo modo sumptum consistit in
quadam concatenatione & coordinatione cau-
sarum naturalium, omnino inflexibili & immu-
tabili, si ve in quadam dispositione fiderum seu
constellationum, ex qua Gentiles existimabant
omnia in rebus humanis contingere: & ab illa
non solum actus & eventa, sed etiam ipsas no-
uitas voluntates pendere, ut refert D. Augusti-
nus libro 2. ad Bonifacium cap. 6. Fatum verò in
secunda acceptione, nihil aliud est quam divina
providentia, aeterno & immutabili suo decreto
praedeterminans, praedefiniens, & praedeterminans
omnia quae sunt in mundo, fieri juxta naturam
& conditionem causarum secundarum à quibus
proveniunt. Ut enim ait S. Augustinus apud
Proterperum, sententia 88. Divina voluntas est pri-
ma & suprema causa omnium corporalium, Spiritua-
Tom. I.

Aliumque motionum: nihil enim fit visibiliter & sensibi-
liter, quod non de invisibili & intelligibili summi Im-
peratoris aula, aut jubeatur, aut permittatur, se-
cundum inestimabilem intuitum premiorum, atque
penarum, gratiarum, aut retributionum, in ista
totius creatura amplissima quadam, immensaque re-
publica.

In hac ergo secunda acceptione admittere fa-
tum non inconvenit, sed pium & catholicum est,
& doctrinae D. Augustini & D. Thomae omnino
consonum: quamvis non debeamus hoc nomi-
ne uti, ne conveniamus cum Gentilibus: ut do-
cet idem Augustinus lib. 20. contra duas Epist.
Pelagianorum, qui, ut ostendimus §. praecedenti,
illum S. Doctorem, Manichaeum, & fatalium
decretorum assertorem appellabant, unde cap. 5.
sic ait: Nec sub nomine gratiae fatum asserimus, quia
nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedere:
si autem quibusdam, omnipotentissimam Dei volunta-
tem placeat fati nomine nuncupare, prophanas qui-
dem verborum novitates devitamus, sed verbis con-
tendere non amamus.

Idem asserit S. Thomas quodlib. 12. quaest. 3.
art. 4. ubi hanc pettractans quaestionem: *Verum
omnia subsint fato*: inquit: *A providentia Dei omnia
sunt praedeterminata & ordinata*. Et in hac acce-
ptione docet posse concedi quod omnia subji-
ciuntur fato: juxta illud Boetii, *Fatum est immo-
bile dispositio rebus mobilibus inhaerens*. Addit ta-
men non esse utendum hoc nomine, quia cum
Gentilibus, nec nomina convenit habere com-
munia. Unde Augustinus: *si quis hoc modo intel-
ligat fatum, sententiam teneat, linguam corrigat, &
non dicat fatum, sed Providentiam Dei*.

Item 1. parte quaest. 116. art. 3. quaerit an fatum
sit immobile: Et haec quaestioni sic respondet:
Dicendum quod dispositio secundarum causarum,
quam fatum dicimus, potest dupliciter considera-
ri. Vno modo secundum ipsas causas secundas, quae
sic disponuntur seu ordinantur: alio modo per re-
lationem ad primum principium à quo ordinantur,
scilicet Deum. Quidam ergo posuerunt ipsam se-
riem, seu dispositionem causarum esse secundum
se necessariam, ita quod omnia ex necessitate con-
tingerent, propter hoc quod quilibet effectus habet
causam, & causa posita necesse est effectum poni:
Sed hoc patet esse falsum per ea quae supra dicta
sunt. Alii verò à contrario posuerunt fatum esse
mobile, etiam secundum quod à divina Providen-
tia dependet: unde Aegyptii dicebant quibusdam
sacrificiis fatum posse mutari, ut Gregorius Nis-
senus dicit: Sed hoc supra exclusum est, quia im-
mobilitati divinae Providentiae repugnat. Et ideo
dicendum, quod fatum secundam considerationem
secundarum causarum mobile est, sed secundam

quod subest divina Providentia, immobilitatem
sortitur, non quidem absoluta necessitatis, sed con-
ditionata, secundam quod dicimus hanc condicio-
nalem esse veram, si Deus praescivit hoc futurum,
erit. Unde cum Boetius dixisset fati seriem esse
mobilem, post pauca subdit: quae tamen ab immobilis
providentiae proficiatur exordium, ipsamque immuta-
bilem esse necesse est. Hac S. Thomas in quibus
verbis tria ponderanda sunt, quibus decreta in-
differentia & Molinistica penitus jugulantur.
In primis enim asserit S. Doctor, quod omnia sunt
à divina Providentia praedeterminata & praedeterminata.
Secundò docet posse concedi à Catholicis
omnia subijci fato, dummodo nomine fa-
ti intelligatur divina providentia, omnia quae
sunt

Mm m

sunt

fiunt in mundo prædeterminans, ac prædefiniens. Tertio ait quod fati secundum considerationem causarum secundarum mobile est, sed secundum quod subest divinæ Providentiæ, immobilitatem sortitur. Hæc autem cum decretis indifferentibus non posse coherere, quis non videat? Quis enim non dixerit à decreto indifferenti, à voluntate creata determinabili, & consensum ac determinationem liberi arbitrii supponente, vel expectante, ac nos nostros liberos esse determinatos, præordinatos, ac prædefinitos: Quis etiam, nisi stupidus aut insanus, decreta illa indifferentia, adeo libertatis amica, mitia, benigna, blanda, suavia, ac temperata (ut loquitur Adversarii) auderet nomine fati appellare; & asserere ex huiusmodi decretis fatum quoddam in rebus humanis induci? cum potius ipsi Adversarii talia decreta in Deo fingant, ut à rebus humanis fati omnino excludant, quod induci putant à decretis absolutis, determinatis, & de se efficacibus, quæ adcircò Lessius, ut supra vidimus, ferrea, adamantina, fatalia, & inflexibilia appellat. Denique quomodo verificari potest, quod fatum, secundum quod subest divinæ Providentiæ, immobilitatem sortitur, ut loquitur S. Doctor, si illa concurrat cum causis liberis decreto tantum indifferenti & conditionato, & à voluntate creata determinationem supponente, vel expectante? Certè hac in parte dubitare. Tenente & doctrina D. Thomæ, illique decreta indifferentia assignere, est tenebras Soli offundere: vel, ut ajunt, in meridie cæcutire.

110.
disp.
2. sect.
3.

Dices primò cum Petro à S. Ioseph, in Opusculo quod defensionem D. Thomæ appellat: D. Thomas loco supra relato, in fato secundum quod subest divinæ Providentiæ, immobilitatem & necessitatem quandam agnoscit, non absolutam, sed conditionalem: secundum quod dicimus (inquit S. Doctor) hanc conditionalem esse veram, si Deus præscit hoc futurum, erit. Ex quo infert præfatus Author, secundum doctrinam D. Thomæ, decretum & providentiam Dei supponere præscientiam futurorum, & inniti scientiæ mediæ.

111.

Sed facile responderetur, quòd quando S. Thomas ait, fatum secundum quod subest divinæ Providentiæ, non inducere necessitatem absolutam, sed conditionalem, solum intendit docere, ex illo non tolliatur lædi libertatem, nec induci in rebus humanis aliam necessitatem, quam hypotheticam & consequentem, quæ libertati non præjudicat, Nam licet æternum divinæ Providentiæ decretum, antecedit determinationem, & liberum consensum nostræ voluntatis; quia tamen illum antecedit per modum causæ, & primi principii, & veluti primæ radici totius libertatis & contingentiæ quæ est in rebus creatis, ut docet idem S. Doctor locis supra relatis, est eminenter seu æquivalenter consequens, ac proinde necessitatem tantum consequentem & hypotheticam in rebus humanis inducit, ut alibi fusiùs exponemus. Unde quando S. Thomas subdit, quòd tale decretum habet necessitatem quandam conditionalem, secundum quod dicimus hanc conditionalem esse veram: si Deus præscit hoc futurum, erit: non loquitur de præscientia indipendente à decreto, illudque antecedente, quæ scientia mediæ appellatur, sed de præscientia fundata in decreto, eique innixa: ut patet ex his verbis quæ immediate subjungit: Unde cum Boëtius dixisset fati seriem esse mobilem, post pauca sub-

A dit: qua tamen ab immobilis providentiæ proficitur exordis. Quibus verbis, fati, ut divinæ providentiæ subest, firmitatem ac immobilitatem, cum Boëtio, reducit in immobilis providentiæ exordia, & causalitatem, non verò in præscientiam futuræ, consensum.

Addo quòd, si D. Thomas vellet decretum divinæ providentiæ, supponere præscientiam futurorum, & inniti scientiæ mediæ, non diceret quòd à divina providentiæ omnia sunt prædeterminata, sed potius quòd ab illa omnia sunt postdeterminata: siquidem epi decretum non antecederet, sed præsupponeret determinationem voluntatis creata, ac proinde non prædeterminatio, sed postdeterminatio dici deberet.

Dices secundò cum eodem Authore ibidem. Rigidissimi fati assertores inter Ethnicos, non aliam in actibus nostræ voluntatis necessitatem agnoscant, quam qua oritur ex causa, quam amovere, vel eam operationem impedire, non sit in nostra potestate. Non enim dubitant, quin si variaretur decretum Dei, aut consellatio, effectus, etiam qui alioquin inevitabiles, mutationi essent obnoxii. Unde Aegyptii, ut notat S. Thomas, conabantur sacrificia & precibus Deos flectere ad mutationem decreti, ut ex consequenti eorum fata in melius commutarentur.

C Quo ipso existimabant fata in sensu diviso esse inevitabilia, inevitabilia autem in sensu composito amovantur. Cum ergo homo non possit avertere à se physicam prædeterminationem, & ea possit non posse non agere, sed necessariò agat in sensu composito, ut expressè faciunt adversarii; concipi non potest, quæ ratione illi reipsa non admittant fatum illud prædictum, & inevitabile, quòd S. Thomas locitato rejicit, & cum eo omnes Catholici: est linguam corrigant, nec dicant à se admitti fatum, aut necessitatem, sed providentiam.

Respondeo quòd rigidissimi fati assertores inter Ethnicos admittebant fatum ortum ex causis naturalibus & necessariis, quales sunt constellationes siderum, & cursus planetarum, quæ non possunt movere & determinare voluntatem ad unum per modum liberi sicut ejus natura exposcit, sed solum ad unum per modum naturæ, sicut determinantur res naturales & necessaria. Unde cum tali fato non potest stare, & conjungi, seu componi libertas, & potentia ad oppositum, ac proinde ut voluntas sit libera, & potens ad oppositum, necessarium est tale fatum mutari, seu dividi, & amoveri à voluntate creata. Decretum verò prædeterminans, non solum procedit à primo libero, sed etiam à prima totius libertatis & contingentiæ radice, & causa, efficacia scilicet infinita divinæ voluntatis: unde cum causa non tollat aut destruat effectum, sed potius illum inserat, ponat, efficiat, ac perficiat, tantum abest quòd libertas & potentia ad oppositum, cum tali decreto coherere & componi non possit; quin potius sine illo non potest poni in rerum natura, libera determinatio nostræ voluntatis, ut supra ostendimus.

Addo etiam, esse aliud notabile discrimen inter decretum prædeterminans, & fati rigorosè sumptu, quòd Gentiles olim admittentibus. Illud enim erat à causis omninò extrinsecis voluntati creata, scilicet à sideribus & corporibus celestibus, ut supra vidimus ex Augustino. Illud verò procedit à Deo, qui cum sit Author & principium

epium anima & voluntatis, & intimè illi con-
 pangatur, veluti anima ipsius anima, & princi-
 pium in quo vivimus, movemur, & sumus, ut di-
 citur Act. 17. non reputatur tanquam agens
 extrinsecum respectu nostræ voluntatis, ut alia
 extrinsecum respectu nostræ voluntatis, ut alia
 egerita creata, sed inter causas internas illius
 computatur, magisque habet, ut ait Augustinus,
 in potestate voluntatis hominum, quam ipsi suas. Et
 ibi licet fatum Gentilium cogeret volunta-
 tem, eique violentiam & necessitatem inferret,
 non tamen decretum prædeterminans. Unde
 S. Thomas varijs in locis docet, voluntatem
 creatam, ratione libertatis sibi indere, non posse
 ab aliquo agente extrinsecum determinari, & in-
 clinari: excipit tamen ipsum Deum, qui est cau-
 sa & author ipsius voluntatis, & qui, ut diximus,
 inter causas internas illius computatur: ut vide-
 ri potest contra Gent. cap. 88. & 1. p. quæst. 83.
 art. 1. ad 5. & quæst. 105. art. 4. ad 1. ubi sic habet:
*Ubi quod movetur ab altero dicitur cogi, si moveatur
 contra inclinationem propriam: sed si moveatur
 ab eo quod sibi dat propriam inclinationem non di-
 citur cogi: sicut grave cum movetur deorsum à gene-
 rante non cogitur. Sic igitur Deus movendo volunta-
 tem, non cogit ipsam, quia dat ei eius propriam incli-
 nationem.*

Non est etiam omittendum, prædictum Pe-
 trum à S. Josepho, toto illo Opusculo, quod D.
 Thomæ defensionem appellat, & quod verius ejus
 impugnatione diceretur, perpetuâ hallucinatione
 & equivocatione laborare, ex prava ac perversa
 sententia compositi & divisi intelligentiæ & expli-
 catione, quam affingit Thomistis, & quam haurit
 ex fontibus Molinistarum, eodem equivoca-
 tionis morbo hac in parte laborantium. Existi-
 mat enim, sensum compositum Thomistarum in eo
 consistere, quod itante & composita prædetermina-
 tione ad amorè v. g. cum voluntate creata (id est
 quoad illa stat, & in voluntate remanet) volun-
 tatis non potest non amare: quasi talis præ-
 determinatio auferat à voluntate potentiam ad
 non amandum, vel illam liget, aut impediatur.
 Sensum verò divinum sic esse intelligendum: ut
 ablata, divisa, separata, & veluti excusata præ-
 determinatione à voluntate creata; tunc tantum,
 & non aliàs possit non amare, & habeat faci-
 litatem ad oppositum. Hunc pravam sensum
 ille Author toto illo opusculo imponit
 Thomistis, cum Suarez, Vazque, Molina, Les-
 sio, Meratio, & alijs Societatis Scriptoribus,
 quorum nullus quem viderim, hanc celebrem
 distinctionem, ex qua pendet intelligentia & re-
 solutio huius difficultatis, rectè exposuit, vel in-
 tellexerit: ut alibi latius ostendemus, & aperte
 demonstrat unus ex studentibus nostri Còventus
 Tolosani, in opusculo de vera & legitima intelli-
 gentia sensus compositi & divisi, edito Parisiis 1638.
 Horum ergo vestigijs inhærens Petrus à S.
 Josepho, in eundem scopulum impingit, & ex prava
 perversa huius distinctionis intelligentia, plures
 in præfato opusculo Thomistis affingit
 absurditates & fallitates: *Ut voluntatem non posse
 assensu divine motioni. Non posse illi resistere. Illa
 potest non remanere in voluntate creata potentiam ad
 oppositum, sed solum illa separata, & veluti divisa ac
 remota. Ab illa voluntatem creatam moveri necessariò,
 irresistibiliter, & irresistibiliter, &c. Ex ea orri in-
 evitabile fatum, destrui libertatem arbitrii, anteceden-
 tem necessitatem induci, & similia monstra, fig-
 menta, ac somnia, quæ ille Author in sua effra-
 gante imaginatione. Unde tandem in fine illius o-*

A puscule, quasi ovans ac triumphans exclamat:
*Prædeterminationem physicam non esse præsumendum
 emundam: periculum enim esset, ne illa simul cum san-
 guine brevi animam efflaret.*
 Verùm hæc verba sunt, & inanes foliorum
 sonitus, ac ridiculi & pueriles triumphus. Tan-
 tum abest quòd in illo Opusculo præmotionem
 physicam graviter, & usq; ad sanguinem, Au-
 thor ille vulneraverit, eamque, ut existimat, ad
 extremas angustias redegerit, ultimumq; vulnus
 ei inflixerit, quin imò nec primam illius cutem
 attigit: ipsius enim gladius plumbeus est, eusq;
 in Thomistas impetus, debilis, ac cæcus, plura-
 que supponens, & non probans, quæ à Thomistis
 constantissimè negantur, & quæ ab illorù prin-
 cipijs & doctrina sunt penitus aliena, ut fusè
 ostendemus in Tractatu de actibus humanis
 disp. 6. art. 2. §. 11. & sequentibus, ubi omnia quæ
 ille Author in prædicto opusculo ex S. Thoma
 nobis objicit, dilucidè referemus ac refellemus.

§. II.

Alia argumenta solvuntur.

Licet ex dictis §. præcedenti facile solvi possit
 secundum argumentum Adversariorum supra
 expositum, quod petitur ex libertatis læsione,
 quam illi contendunt sequi ex decretis abso-
 lutis & ex se efficacibus, quæ Thomistæ cū S.
 Doctore supra relato præterminatim appellant.
 Ut tamen illis abunde, & de toto rigore iustitiæ
 satisfaciamus, in forma respondeo, negando
 Antecedens; ad cuius probationem, concessa
 Majori, nego Minorem. Ad probationem Mi-
 noris, in primis dici potest quod licet liberum
 arbitrium non habeat dominium super divinū
 decretum, & connexionem indissolubilem quæ
 intercedit inter decretum & actum voluntatis
 creatæ, prout talis connexio se tenet ex parte
 Dei, tanquam primi liberi, primique determi-
 nantis: habet tamen dominium in illam, prout
 se tenet ex parte consensūs liberi, dependentis
 à voluntate creata, tanquam à secundo libero, &
 secundo determinante.

Secundo responderi potest, de ratione quid-
 dem primi liberi esse habere absolute in sua po-
 testate & dominio omnia prærequisita ad agen-
 dum, non autem de ratione secundi liberi. Ra-
 tio disparitatis est evidens, nam primū liberū
 est prima causa suæ determinationis & electio-
 nis ac proinde habet in illam dominium supre-
 mum & absolutum, & à quocunque alio omni-
 no independens. Secundum verò liberum est
 solum causa secunda suarum electionum, ab al-
 tera priori necessario dependens, illiq; essentialiter
 subordinata, & consequenter in suam de-
 terminationem habet dominium solum secun-
 darium, ab alio dependens, illique subordina-
 tum. Unde sicut videmus in politicis, quod Vas-
 fallus, seu Feudatarius, quamvis habeat domi-
 niū utile in fundū, quia tamen tale dominium non
 est absolutum, & supremum, sed ab alio depen-
 dens, eiq; subordinatum, non habet in sua pote-
 estate ea quæ ad Regem, & supremū Dominum
 spectant. Ita similiter, ut voluntas creata habeat
 dominium secundarium dependens in suos
 actus liberos, non requiritur quòd habeat
 in sua potestate divinū decretum, eiusque
 motionem, vel auxilia gratiæ quæ ab illo pro-
 manant, aliæque quæ ad supremum Dei domini-
 um essentialiter pertinent. Solutio est D. Tho-
 mæ 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. ubi ait: *Homo est
 dominus suorum actuum & volendi & non volendi*

in Bibli



di, propter deliberationem rationis qua potest flecti ad unam partem, vel ad aliam; sed quod deliberet vel non deliberet, est huiusmodi sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem precedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio quod est supra mentem humanam, scilicet Deo: ut etiam Philosophus probat in capitulo de bona fortuna. Unde mens hominis, etiam sani, non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmum post peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ. Idem docuerat supra quaest. 9. art. 4. ad 1. his verbis: De ratione voluntarii est quod principium eius sit intra, sed non oportet quod hoc principium intrinsecum sit primum principium, non motum ab alio: unde motus voluntarius, etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra, sicut & primum principium motus naturalis est ab extra, quod scilicet movet naturam. In his duobus testimoniis solvit D. Thomas argumentum, quod apud Adversarios Palmarium est, & in hoc certamine, veluti Achylleum. Videndus est etiam 1. p. quaest. 83. art. 1. ad 3. quaest. 105. art. 4. ad 2. & quaest. 3. de malo art. 2. ad 4.

118.

Ex his patet, nullum ex aliis absurdis & inconvenientibus quæ nobis obijciunt Adversarii: neque studium virtutis retudi, orationes refrigerare, vel extingui, socordiam, torporem, & ignaviam generari, aliaque quæ supra retulimus ex Lesio, Molina, Vazque, & aliis Recentioribus, sequi ex nostra sententia. Ut enim eruditè docet Prosper libro 2. de vocatione Gentium, cap. 36. Quamvis quod statuit Deus nullà possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum, liberi arbitrii devotio relaxatur: cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum sunt incrementa meritorum; & qui bona egerint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione se credero, præsumio huius electionis abscondita est.

Similia habet S. Gregorius libro 1. Dialog. cap. ubi hæc scribit: Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt: Sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pio labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Quod subinde Abrahami probat exemplo, cui cum per Isaacum prædestinata soboles foret, eadem tamen Isaac præcibus emerenda fuit. Unde nimirum constat (inquit) quia prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahami prædestinaverat, oratione obtinuit.

Legendus est etiam S. Thomas infra quaest. 23. art. 8. ubi sic dicitur: Sicut sic providentur naturales effectus, ut enim in causis naturales ad illos naturales effectus ordinantur, sine quibus illi effectus non provenirent. Ita prædestinatur salus alicui, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quicquid hominem promovet in salutem: vel orationes proprie, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde præde-

stinatis conandum est, ad bene operandum & orandum, quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 1. Petri 1. Sa- tagite ut per bona vestra opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Addo etiam, quod illa omnia argumenta & inconvenientia æquè militare videntur contra infallibilitatem divinæ præscientiæ, ac contra efficaciam intrinsecam divinorum decretorum. Unde inquit Augustinus de bono perseverantiæ cap. 15. Ista cum dicuntur, ita nos à confitenda vera Dei gratia, id est quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione Sanctorum deterere non debent: sicut non deteremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, id est: si nunc rectè vivatis, sine non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præcivit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim si hoc audito nonnulli in corpore sequenti meo vertantur, & à labore proclivis ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea ad præscientiam Dei falsum putandum esse quod dictum est: Nonne si Deus illos bonos futuros esse præcivit, boni erunt in quantum aliter nunc malignitate versantur: Si autem malos, mali erunt, in quantum libet nunc bonitate cernantur? Subdit: Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripitibus Fratribus, cur quadam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Quisquam quæ nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præcivit. Qui profecto verum dicebat, ex hoc non proficerebat in bonum. Sed usque adeò proficere in malum, ut desertà Monasterii societate, sine canis reversus ad suum vomitum, & tamen alibi qualis sit futurum incertum est. Tandem concludit: Nunquid ergo propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel agenda, tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?

Pergit capite sequenti, & inter alia, verba hæc aurea scribit: Cavendum est igitur, ne dum timemus ne peccet hortatio, & extingatur oratio, accendatur elatio. Dicatur ergo verum, maxime ubi aliqua questio ut dicatur impellit, & capiam qui possunt: ne forte cum tacetur propter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiuntur, qui verum capere quæ caveatur falsitas possunt.

His Augustini testimoniis addam verba Benedicti Pererii, Societatis JESU, viri (ut ait Possévinus eiusdem Societatis) insigni eruditione, & perspicuitate referti. Hic ergo Tomo 6. suarum disputationum selectarum, in sacra Scripturarum disp. 213. ait argumenta quæ contra nos obijciunt Adversarii, non esse nova, nec recentis inventa, sed illa ipsa olim vivente etiam S. Augustino, à Masiliensibus, aliisque Gallis Episcopis, adversus illum fuisse objecta. Et tamen (inquit) nihil moverunt Augustinum, quominus sententiam suam constanter tueretur usque ad mortem, neque scandala quæ ab id oriebantur, & nonnulla accidebant, curanda esse putavit: iudicans esse passivum, ut quæ ex infirmitate veritatis, & imperitia divinarum Scripturarum nascerentur &c.

§. III.

Ultimum argumentum diluitur.

Ad ultimum argumentum breviter dico quod si illud recte concluderet, probaret etiam profertendam esse scientiam mediam, quia olim eam admitterebant Semipelagiani, eaque utebantur ad suos errores defendendos, ut faceret Suarez Tractatu de Prædest. cap. 5. num. 5. & manifestè colligitur ex Faulto lib. 2. de libero arbitrio cap. 2. ubi ait: Præscientiam & prædeterminationem Dei malè intelligunt astruentes quòd inde hominum actuum causa nascatur. Et paulò post subdit. Generalis itaque præscientia, qua de statu mentis apud Deum manet, de potentia nascitur, sed circa statum hominis, qualitates, & species præsentis, de HUMANI ACTUS INSPECTIONE MUTATUR. Et infra ait: Magis de originem voluntatis humanae, genus præscientia divina derivari, quam opera ac voluntates hominum, de nullo & impulsu Providentiæ celestis incipere. Et tandem cap. sequenti sic concludit, NISI PRÆSCIENTIA EXPLORAVERIT, PRÆDESTINATIO NIHIL DEBERNIT. Si ergo à Scholis Catholicorum decreta ex se efficacia, & consensum nostræ voluntatis antecedentia, relegari debent, quia in libris Calvinii continentur: debent etiam, eadem ratione, à Catholicis proferri, ac de medio tolli scientia media, & decreta prævisionem futuri consensu præsupponenda, quia ea similiter docentur à Faulto, Semipelagianorum Antesignano, in libris de libero arbitrio, quos (ut supra retulimus ex Baronio) Hormilda Papa, tanquam hæreticos, & Pelagianam doctrinam continentes, damnavit. Hoc ergo Adversariorum telum, vel irritum est ac inane, vel eo pariter vulneratur scientia media. De quo plura diximus in Apologia Thomistarum, Tractatu de scientia Dei inserta, ubi etiam varia doctrinæ Thomisticæ & Calvinianæ discrimina exposuimus, & omnia quæ P. Annatus in libro de scientia media disp. 4. cap. ultimo, tum ex Catholicorum, tum ex Hæreticorum testimoniis, post Theophilum Raynaudum, nobis objicit, perspicuè solvimus, & prorsus diluimus; ibique etiam clarè ostendimus, objectionem illam Adversariorum, merito *supradam* appellari; cum nemo, nisi omnino tardus & stolidus, tam clara & aperta doctrinæ Thomisticæ & Calvinianæ discrimina quæ sibi expendimus, percipere facile non valeat. Unde de hoc argumento nihil hæc superest dicendum.

Solum referemus quòd ait Magister Lorca, Generalis Ordinis Cisterciensis, & in Academia Complutensi Primarius, disp. 21. de gratia, conclus. 1. nempe Nimis excedere eos qui in superabili contentione descendunt, physicam præmotionem quam docet Thomista, auferre libertatem, & sententiam quæ illam asserit, nihil aut parum à Calvinio differre: *consensum evidens sit ESSE D. THOMÆ DOCTRINAM, & plurimum ex antiquis Scholasticis, nullà rationem admittendum est ali quid ei inesse periculi, sed potius credendum esse fidei Catholice consonam. Et his censuris uti, NEC PIE, NEC PRUDENTER FIT.*

Addam etiam quæ scribit Baromius ad annum 409. Tomo 6. pagina 943. Recentiores illos prudenter admonens & corrigens: Videant (inquit) quanto periculo quidam ex Recentioribus se exponunt, dum in Novatores insurgunt, ut ex consuetudine.

A tent, à S. Augustini sententia de prædeterminatione recedunt, cum alioquin arma non desint, quibus hæretici profligentur.

ARTICULUS VI.

Alia argumenta solvuntur.

Alia solent ab Adversariis proponi argumenta, tum ex autoritate Scripturæ & SS. Patrum, tum ex ratione, quæ hic breviter referemus ac diluemus, ut isto Theologia Thomisticæ Clypeo, omnia ipsorum tela facile propelli ac irritari, imò & in eos retorqueri possint.

§. I.

Solvitur argumentum desumptum ex inexcusabilitate peccatorum in die iudicii.

Hoc argumentum plurimum extollunt & magnificant quidam Recentiores, illudque sub his terminis proponunt. Scriptura & SS. Patres dicunt, omni excusatione carituros improbos in die iudicii: quia quamcumque prætexant occasionem sui lapsus, & quodcumque allegent sibi fuisse impedimentum ad bene operandum, poterunt eis opponi alii, qui in eodem fuerint cum illis statu antecedenti, & tamen rectè egerint: Sed hoc non potest verificari, si divinum decretum sit ex se efficax, & prædeterminans voluntatem ad operandum. Ergo tale decretum rejiciendum est. Minor probatur: Deus in die iudicii non poterit opponere improbis & peccatoribus aliquos viros bonos & justos, qui caruerint decreto efficaci & prædeterminatione physica, & tamen rectè fuerint operati; cum tale decretum, & prædeterminatio ex illo promanans, sint omnino necessaria ad bene operandum, & aliqua applicatio liberi arbitrii, prærequisita ad agendum, ac proinde pertinens ad statum antecedentem potentia libera: Ergo in nostra sententia impossibile est quòd Deus ponat in die iudicii malos Angelis, aut hominibus perverfis, aliquem, vel aliquos, qui fuerint in eodem statu antecedenti cum illis, & tamen rectè operati sint.

Confirmant hoc argumentum, & dicunt ex doctrina Thomistarum sequi, vanas reddi exprobrationes, quibus Deus in sacris litteris exprobrat vineæ suæ (id est populo Israëlítico, vel animæ fideli) quòd uvas non ferat, sed spinas, aut labruscas, hoc est quòd non faciat fructus bonorum operum, sed opera mala & perverfa, ut habetur Isaie 5. Sequela probatur: Ut justa sit exprobratio, debuit esse talis cultura vineæ, per quam fructum re ipsa ferret, & non solum per quam possit producere fructus: Sed si tali vineæ desit aliud prærequisitum ad operandum, applicatio scilicet potentia, quæ est à decreto efficaci, non habet re verà sufficientem culturam, per quam fructum re ipsa ferat: Ergo immeritò Deus illi exprobraret, quòd non faceret uvas, sed labruscas, & imprudenter ab illa expectaret fructus bonorum operum.

Hoc explicant & confirmant exemplo agricolæ, qui si ultimam manum non adhiberet vineæ suæ, & illi denegaret aliquam culturam omninò necessariam ut faceret fructus, immeritò conquereretur de tali vinea, eò quòd non ferret uvas, sed spinas aut labruscas. Sicut etiam immeritò quis exprobraret homini constituto in tenebris, & non habenti copiam luminis,